



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

17. Circa Sacrilegium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

PROL. XXV.

Adultera coniux tenetur, & non tenetur marito pecunias ex adulterio acquisitas restituere.

¹⁷⁶ *Tenetur quidem.* Tenetur equidem. Quia maritus est dominus corporis uxoris suae quoad actus conjugales, & saltem propter adulterij iniuria gerenda est coniugi restitutio. Sic Molina *tom. 1. de iust. tr. 2. d. 94.* Reginald. *l. 10. n. 193.* Nauarra *de re. lit. l. 3. c. 1. n. 136.* Bannes *2. 2. q. 6. a. 5. dub. 5. & alij.*

¹⁷⁷ *Non tenetur.* Non tenetur. Quia non pro omni iniuria restitutio pecuniaria debetur, sed pro iniuria cum damno pecunia aestimabili. Ita Bonac. *de contrah. d. 1. q. 1. pun. 3. n. 12.* Graf. *tom. 4. conf. lib. 5. de furtis, consil. 1. Megala p. 2. lib. 2. cap. 32. num. 24.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 7.* Valq. *opus. de restit. cap. 7. dub. 2.* Syluest. *v. Restitutio, §. 2. Lessi. lib. 1. cap. 14. dub. 8. n. 60.* Azor. *p. 3. lib. 4. c. 24. q. 2.*

¹⁷⁸ *Hanc sententiam reor esse probabiliorē.* Valde probabilem primam sententiam esse puto, sciens iuxta Canonistarum mentem, acceptum pro opere, quod leges puniunt, esse restituendum, cum autem adulterium à lege puniatur, quod ex illo accipitur restituendum erit, si non marito, saltem vel pauperibus, ut multi apud Couarrun. *ad reg. peccatum part. 2. §. 2. vel ei, qui dedit, ut vult Sotus, quem Couarr. citat, & sequitur.* Attamen probabiliorē secundam; Quia *idem* si ob stuprum, ff. *de cond. ob turpem causam, & l. Generaliter, de verbor. oblig.* quas aduersarij citant, licet pacta turpia rescindant, & tollant obligationem civilem, ob quam in iudicio possit peti promissum: non tamen reddunt irritam acquisitionem pecuniarum ex tali causa: nec faciunt inhabilem accipientem, ad comparandum earum dominium. Igitur possunt feminae coniuges sibi lucrum ex adulterio acceptum retinere: nec obnoxiae sunt restituendi, aut marito, aut aliis restitutioni: nisi tale pretium ab iis acceperint, qui potestatem alienandi non habent, ut Religiosi, filij familias, &c.

CAPVT XVII.

Circà Sacrilegium.

PROBL. XXVI.

Sacerdos simul ac Religiosus professus delinquens contra sextum Praeceptum, committit, & non committit duplex Sacrilegium alterum contra Ordinem sacrum, alterum contra votum solemne castitatis.

¹⁷⁹ *Duplex sacrillegium est.* Duplex Sacrilegium committit. Quia sunt duae circumstantiae speciei diuersae, altera

ratione Ordinis sacri, siue sit sacerdotalis, siue Diaconatus, siue Subdiaconatus: altera ratione voti solemnitis: prior quidem ex praeepto Ecclesiae sacris Ordinibus annexo, quae ob honorem & sanctitatem Ordinis sacri prohibet venereos actus iis, qui sacris Ordinibus initiatur; posterior ex obligatione voti solemnitis, quae est specie diuersa à priori: sicut obligatio audiendi sacrum ex voto, & ex praeepto Ecclesiae specie inter se distinguuntur, & duplex piaculum est illarum violatio. Sic Petr. à Ledesma. *de poenit. cap. 10. num. 1. & 2. Sotus lib. 8. de iust. q. 1. a. 5. Paludan. in 4. dist. 36. q. 4. a. a. num. 14. Paleot. de spiritali, cap. 16.* Et hanc sententiam debent necessario tenere, qui asserunt, obligationem castitatis in sacris Ordinibus oriri ex praeepto, non ex voto. Hi sunt Valent. *part. 4. tract. de sacram. Ordin. d. 9. q. 5. pun. 5.* Turrec. *c. 1. lacus, a. 1. num. 16.* & alij apud Sanch. *lib. 7. de matr. d. 2. num. 9.*

¹⁸⁰ *Non est duplex sacrillegium.* Non duplex, sed vnicum perpetratur Sacrillegium. Quia huiusmodi obligationes eiusdem speciei sunt: obligatio enim castitatis in sacris Ordinibus ex voto implicito castitatis oritur, & non ex praeepto: votum autem solemne castitatis in sacris Ordinibus, & professionis votum sunt eiusdem speciei; nam Ecclesia imponit praeeptum castitatis iis, qui sacris initiantur, mediate, id est, mediante voto castitatis implicito, & sic intendit eos ex voto obligare; quod si forte expresse noluerint castitatem implicite vouere, & se ad illam ex voto obligare: ne euadant tunc quidem mediante voto, imponit illis praeeptum seruandi illam. Ita Sanch. *cit. num. 28.* Lessi. *lib. 4. cap. 3. dub. 12. num. 87.* Corduba *sum. q. 3.* Caiet. *2. 2. q. 186. a. 9. dub. 1.* Ludov. Lop. *part. 1. in str. c. 29.* Ouand. *in 4. dist. 25. q. unic. post 9. concl. corol. 1.* Manuel. *tom. 3. cap. 53. num. 5.* Medi. *sum. lib. 1. cap. 14. §. 18.*

¹⁸¹ *Secunda haec sententia.* Probabilis valde est prima sententia, haec tamen secunda probabiliori mihi. Ex qua colligo, si Religiosus sacris Ordinibus initiatus sit professus, satisfacere confessioni dicendo, se esse professum, & tacendo, se esse Sacerdotem. Sacerdotem non professum satisfacere dicendo, se sacros habere ordines, vel castitatis votum, tacendo se esse Sacerdotem. Episcopum satisfacere, dicendo, se esse sacris initiatum, vel votum habere castitatis. Professum satisfacere, dicendo, se votum castitatis violasse, haud explicando, se esse Religiosum. Haec omnes sequelas deducit, ac approbat Filliuc. *tract. 30. num. 125.* & Sanch. *a. num. 27. v. que ad 38.*

PROBL. XXVII.

Professus violans castitatem satisfacit, & non satisfacit confessioni dicendo, se habere castitatis votum, haud declarando esse solemne.

¹⁸² *Non facit.* Non satisfacit. Quia circumstantia Religiosi status, & voti solemnitis est notabiliter aggravans: unde saltem huius circumstantiae ratione tenetur Religiosus professus statum exponere. Quemadmodum qui mille aureos furatur, non satisfacit in confessione dicendo:

Secl. II. De Precept. 6. & 9. Problemata. 323

do: Furatus sum grauem quantitatem lethali peccato obnoxiam. Sic Fagund. Decal. l. 6. c. 7. n. 13. Azorium citans. Cardin. Palaeor. de spur. c. 16. n. 15. Medina l. 6. sum. c. 12. §. 8. Rodrig. ro. 1. sum. c. 53. n. 5. & alij.

Satisfacit omnino. Quia votum solemnne castitatis non distinguitur essentialiter à voto simplici, sed accidentaliter solummodo. Nam essentia voti solemnne in Religione in eo consistit, quod per illud vouens sui corporis vsum Deo tradat, & per eam traditionem ipse ex Ecclesiae statuto ad contrahendum matrimonium reddatur: Essentia verò voti simplicis in eo etiā sita est, vt vouens quantum est ex parte sua sui corporis Deo tradat vsum: noluit tamen Ecclesia, vt ipse vouens si secularis sit, per eam traditionem redderet ad contrahendum coniugium inhabilis. Vnde votum solemnne castitatis Religiosi professi, vel viri sacris initiati non Regularis, differt extrinsece, & accidentaliter à voto simplici castitatis per solam Ecclesiae constitutionem decernentis, vt votum professi, vel sacris initiati reddat ad contrahendum matrimonium inhabiles, non simplex votum secularis. Ita Sanch. l. 7. de ma. d. 27. Henric. l. 2. c. 5. n. 6. lit. G. Corduba sum. q. 3.

Cum his opinor, qui Volum. 1. asserui circumstantias aggravantes hand esse necessario facendas. Enim vero licet cum iis sentirem, qui circumstantias notabiliter aggravantes necessario aperiendas esse affirmant, huic insisterem assertioni. Crediderim enim circumstantiam Religiosi status non esse notabiliter aggravantem, semper enim relinquit peccatum intra eandem speciem: solummodo enim contra Deum hæc culpa committitur, qui tantum offenditur in voti simplici violatione, quantum in violatione voti solemnne. Nec est eadem ratio in furto millo aut eorum, ac in paruo; nam in furto magno gravius proximus offenditur, quam in paruo & gravius proinde crimen contra Deum patrat.

PROBL. XXVIII.

Qui voto solemnne ac simplici illigatur: Tenetur quidem, & non tenetur, utrumque in confessione castitatis votum violatum explicare.

185 Tenetur plane. Tenetur equidem. Quia votum solemnne & simplex specie differunt. Sic Sotus l. 7. de inst. q. 2. a. 5. Medina sum. c. 14. §. 18. Et quia licet specie non differant, votum solemnne addit circumstantiam notabiliter aggravantem, deoque exprimendam. Sic Petr. Ledef. de pan. c. 19. Azor. ad 6. præc. c. 19. q. 10.

186 Non tenetur. Quia nec mutat speciem, nec aggravat. Ita Sanch. l. 7. de matr. d. 27. num. 31. Fagund. Decal. l. 6. c. 7. n. 14. Henric. l. 5. c. 5. n. 6. lit. G. Ludou. Lop. p. 1. in str. c. 19. §. Præterea. Fil. linc. tr. 30. num. 127.

187 Probabilior sententia hæc. Quia votum solemnne ac simplex differunt tantum accidentaliter, & circumstantia solemnne (licet demus aliquantulum culpam augere) non multum auget: sicut nec etiam multum augeret si violator castitatis esset Doctor, aut Sanctior, aut maximis à Deo beneficiis affectus.

CAPVT XVIII.

Circa peccatum Luxuriæ quod est contra naturam.

PROBL. XXIX.

Est, & non est propriè Sodomia, cum vir cum femina, etiam propria vxore, rem habet in vase præpostero.



Si quidem peccatum luxuriæ contra naturam illud, quo pervertitur ordo quem natura cetera animalia docuit, & quo prolis conceptio fieri nequit. Cuius diximus sect. 1. quinque esse species. Primum (eas recolo) peccatum contra naturam est, si queratur voluptas carnalis per corruptionem absque feminæ coniunctione: & hoc pollutio, seu mollicies vocatur. Secundum, si queratur in coniunctione animantis alterius naturæ, verbi gratia cum bestia: & vocatur bestialitas. Aut cum Dæmone: & congressus cum Dæmone dicitur. Tertium est, si queratur cum persona indebiti sexus in vase indebito: & est propriè Sodomia. Quartum si queratur per coniunctionem cum femina, haud ordine naturali servato: & est innaturalitas. Quintum, si queratur sine instrumentis & organis à natura ad hunc inditum finem: & erit congressus feminæ, cū femina, quid ad Sodiā imperfectam, vel pollutionē perfectam reducitur. Omnes hi modi contra naturā inter se comparati sunt speciei diversæ. Quia illorum singuli malitiam, ac turpitudinem peculiarem repugnātem castitati continent. Lessi. l. 4. c. 3. dub. 13. num. 90. & omnes. Quæsierim autem, num. censenda propriè Sodomia, cum vir cum muliere, etiam propria vxore, rem habet in vase præpostero?

Est quidem. Quia Sodomia est diuortij causa sine sit actiua sine passiva: vt gravissimi assentant Doctores, qui quidem minimè distinguunt, an perfecta, an imperfecta sit, vocitantes absolutè Sodomiam huiusmodi congressum. Qui quidem capitali ignis poena vindicatur. Sic Iuli. Clar. li. 1. §. sentent. §. Sodomia. numer. 2. Decius ad lib. si qua mulier. num. 9. c. de secunda nupt. Sanchez lib. 1. o. de matrim. d. 4. num. 7. & num. 5. asserit, cum propria vxore præpostero coitum esse Sodiā, nec dicit esse imperfectam, vel perfectam. Contestatur D. Tho. 2. 2. quæst. 154. art. 15. vt docet, dari veram Sodiā inter duas feminas, si se tentent modo virili ordine præpostero: & idem diceret à fortiori de Sodomia, quæ inter virum ac feminam, etiam propriam patrat.

Non est propriè Sodomia. Quia solum vera, ac propria Sodomia datur inter duos viros, quando vnus alterum vase præpostero polluit: quamvis omnes huiusmodi actus Sodomitici equalibus poenis puniantur, & licet quoad poenam diuortij sint æquales. Ita Fagund. Decal. l. 6. cap.

188

Nonnulli præmittit:

189

Est perfectè Sodomia.

190

Non est.